PROGRAMM

der

Lehr- und Erziehungs-Anstalt

für Knaben

(Real- und Gymnasialinstitut nebst Elementarclassen)

von

Dr. Ernst Zeidler,

früher **Albani.**

Dresden, Seidnitzer Strasse Nr. 5

zugleich als Einladung

zu den

am 21. und 22. März, 9 Uhr, stattfindenden öffentlichen Prüfungen.

1877.

INHALT:

Lehmann'sche Buchdruckerei, Obergraben 13.

De Tyrtaei patria et aetate.

De Tyrtaeo alii alia statuunt. Cum iam veteres [1]) de hoc poeta diversa rettulerunt, tum nostri viri docti dissentiunt, qui alii alia testimonia accipiunt aut respuunt. Hic eum Atheniensem [2]), ille Milesium [3]), ille Lacedaemonium [4]) appellat; sunt qui Ol. 24 [5]), sunt qui Ol. 34 [6]) floruisse eum dicant, cum alii eum vixisse omnino negent [7]). Quae cum ita sint, rem dubiam atque difficilem esse plane luculenter apparet. Hanc igitur quaestionem disceptare mihi propositum est, et id videamus, ut ad exitum non irritum perveniamus.

Tyrtaei carmina, quibus poetam „mares animos in Martia bella versibus exacuisse" vates Romanorum lauriger [8]) dicit, quantopere etiam nostris temporibus delectent, inde potissimum intelleges, quod ubique ea conversa vides in Britannorum [9]), Francogallorum [10]), Italorum [11]), iterum iterumque in Germanorum [12]) sermonem. Virorum doctorum, qui Tyrtaeum tractaverunt, audacissime Thiersch iudicavit, qui Strabone (l. l.) nisus auctore spretis omnibus veterum testimoniis Tyrtaeum omnino fuisse negat, cum Tyrtaei nomine nihil aliud significari putet nisi poesin Spartanorum bellicam, quae cum aliis temporibus tum bello Messeniaco altero floruerit. Bernhardy [13]), Hoelbe [14]), Kohlmann [15]), alii Thierschium magis minusve secuti sunt. Quaestio igitur ita videtur instituenda, ut a Thierschii sententia, ultra quam progredi nemo potest, exeamus deliberemusque, quibus causis motus hanc sententiam secutus sit.

Suspicari incipit l. l. p. 593 a contemplando Archembroti Tyrtaei patris nomine, cui „*λακωνικὸν κόμμα*" inesse dicit; „Laconum enim nomina plura a *βροτος* composita esse et in eam terminationem exire ut Thebanorum in *ωνδας*". Bach [16]) hoc argumentum labefactavit nominibus in *βροτος* allatis tribus, quae non Lacedaemoniorum erant: „*Ἐχέμβροτος Ἀρκάς, Καλλίμβροτος Καυλωνιάτης*[2]), *Στησίμβροτος Θάσιος.*" Hoelbe autem, qui Thierschii opinionem tueri studet, hac re non effici censet, ea nomina Atheniensium fuisse. Quod si

[1]) Strab. VIII 362.

[2]) Curtius Griech. Gesch. I[4] p. 199 eum Aphidnis in Attica sitis natum esse censet. idem iudicat Mueller Dor. I p. 151, sed dubitat, utrum Aphidnae iam Tyrtaei temporibus Atheniensium fuerint necne. Grote Hist. of Greece. vers. Germ. I p. 753 eum ludimagistrum et peregrinum sed non Atheniensem fuisse putat.

[3]) Wieland Att. Mus. I p. 335 sq.

[4]) Hoelbe de Tyrt. patria Progr. Dresden heilige Kreuz 1864.

[5]) Mure Hist. of Grecian Literature III p. 190 sq. et Clinton F. H. I p. 183 et 250.

[6]) Bergk in Mus. Rhen. XX p. 288.

[7]) Tiersch in act. Monac. III 569 sqq.

[8]) Hor. A. P. 403.

[9]) Spartan lessons or the Praise of valour in the verses of Tyrtaeus gr. lat. et angl. Glasguae. Foulins 1789.

[10]) Les chants de Tyrtée et Callinus traduits en vers par Firmin Didot. Paris impr. F. Didot 1827.

[11]) I cantici di Tirtaco tradotti e illustrati da Luige Lamberti col testo graeco e versione lat. Parigi IV (1801).

[12]) multarum versionum has laudo: Weisse in Tyrtaei editione Klotzii. Altenburg 1767. Brieger, Zittau 1790. Seidennagel Bruchsal Gymn. Progr. 1868. Hartung die griech. Elegiker. Leipzig 1859.

[13]) Bernhardy Gr. Lit. II 1 p. 502: „dennoch hat Thiersch p. 593 die Nichtigkeit der Vulgarsage völlig dargethan und als ihre Quelle die Panegyriker Athens erkannt, während die beiden Distichen bei Strabo darthun, dass ihr Verfasser aus altem dorischen Geblüt war, er hätte nur nicht den Poeten Tyrtaeus für blosse Fabel oder eine mythische Person erklären sollen."

[14]) Hoelbe l. l.

[15]) Kohlmann Quaestiones Messeniacae Bonn 66. dissertatio philologica.

[16]) Bach Callini Ephesii, Tyrtaei Aphidnaei, Asii Samii carminum, quae supersunt Leipzig 1831 p. 43.

[17]) Bach „*Καιλωνιάτης*", quod lapsum calami esse apparet.

Hoelbio concesserimus, tamen Thierschii argumentum iis refelli mihi videtur, quae Kohlmann[1]) disputat: „Duorum certe Atheniensium nomina in βροτος exeuntia haud diu quaerens repperi, **Κλεόμβροτος** Acharnensis, filius Dinocratis (Plut. X. oratt. p. 843 A.) et Philombrotus Atheniensis et ipse archon (Plut. Sol. 14.), quibus addi potest Ephesius quidam Ἱερόμβροτος (C. J. G. II. 2953, b 32).“

Cuius de Archembroti nomine quaestionis omnia ut accurate exponamus, nomina et ea, quae in βροτος terminationem exeunt, et ea, quae a voce ἀρχε incipiunt, in uno conspectu ponamus. Nominibus eorum virorum, de quibus, unde oriundi sint, dubitandum est, interrogationis signum (?) adscribemus. Fick[2]) XX affert nomina in βροτος exeuntia, quibus unum addit in μορτος vocabulum priscum, unde βροτος inclinatum est.

Nomen 1. Ἀγέμβροτος (Ἀγέμορτος) invenitur in insula Lesbo. 2. Ἀκεσίμβροτος in insula Rhodo. 3. Ἀλεξίμβροτος[3]) in insula Rhodo. 4. Ἀναξίμβροτος numo Magnesio (?) inscriptum. 5. Ἀριστόμβροτος? 6. Ἀρχέμβροτος Tyrtaei pater. 7. Ἔμβροτος Nisyri, dorica in insula. 8. Ἐχέμβροτος in Arcadia. 9. Θαλίμβροτος Cnidi. 10. Θεόμβροτος? 11. Ἱερόμβροτος Ephesi. 12. Καλλίμβροτος a) Syracusis, b) Cauloniae 13. Κλεισίμβροτος in insula Rhodo. 14. Κλεόμβροτος a) Spartae, b) Athenis, c) in insula Cea (Κέως), d) in insula Rhodo. 15. Ξενόμβροτος a) in insula Coo (Κῶς), b) in insula Samo. 16. Ὀνασίμβροτος Lebadiae in Boeotia sitae. 17. Στησίμβροτος a) Thebis, b) in insula Thaso. 18. Σώμβροτος in insula Teno. 19. Τηλέμβροτος Tromiliae in Achaia sitae. 20. Φιλόμβροτος a) Athenis, b) in Thessalia. 21. Χαρίμορτος in Thessalia.

Sex igitur (11. 14 bis. 15. 17. 18. 20.) in Ionicis, octo (2. 7. 3. 9. 12. 13. 14 bis. 15.) in Doricis, septem (1. 8. 11. 16. 17. 19. 20.) in Aeoliis civitatibus nomina in βροτος exeuntia inveniuntur.

Nomina, quae incipiunt a voce ἀρχε Fick l. l. p. 157 praebet XIV[4]): nomen 1. Ἀρχάγαθος invenitur a) Syracusis, b) Aluntii, oppido in insula Sicilia sito. 2. Ἀρχεάναξ (Ἀρχαιάναξ) Mitylenis. 3. Ἀρχέβουλος Thebis. 4. Ἀρχέδαμος (Ἀρχέδημος) a) Athenis, b) Ephesi, c) in Elide, d) in Aetolia, e) in Phocea, f) in Aeolia, g) Tarsi et aliis locis. 5. Ἀρχέλαος a) Spartae, b) in insula Rhodo, c) in insula Delo, d) Athenis, e) Delphis, f) in Chersoneso, g) Mileti, h) Orchomeni et a. l. 6. Ἀρχένεως Athenis. 7. Ἀρχένικος Athenis. 8. Ἀρχέπολις Athenis. 9. Ἀρχεπτόλεμος a) Spartae, b) Athenis. 10. Ἀρχέρμος (Ἀρχέννος)? 11. Ἀρχέστρατος a) Athenis, b) Locris, c) in Sicilia. 12. Ἀρχέτιμος a) Corinthi, b) Syracusis. 13. Ἀρχίππος a) Athenis, b) Mitylenis, c) in Samo, d) Tarenti, e) in Achaia, f) Spartae, g) Copis, h) Dyrrhachii. 14. Ἀρχικλῆς Athenis.

Quam nominum indicem summatim repetamus: in Ioniis civitatibus novem (4. bis. 5. ter. 6. 7. 8. 9. 11. 13. ter. 14.), in Aeoliis sex (2. 3. 4 quater. 5 quater. 11. 13), totidem (1 bis. 5 bis. 9. 11. 12 bis. 13 bis) in Doricis nomina, quae incipiunt a voce ἀρχε, habemus. Itaque Thiersch et Hoelbe audacius quam verius iudicaverunt, neque ex Archembroti nomine, quae sit poetae patria, conici licet. Nec quidquam ex Tyrtaei nomine colligi potest. Tyrtaei enim Mantinensis, quem Plutarchus mus. 21 chromate abstinuisse refert, alibi nusquam mentio fit; neque quemquam alium, cui nomen Tyrtaeus inditum est, neque vocabuli originem novimus.

Transeamus ad cetera tractanda, quae Tiersch ad suam sententiam probandam profert. Atque quod maximum affert argumentum, id in ipsis carminibus repperit, scilicet in iisdem, quibus Strabo fretus versibus Tyrtaeum Lacedaemonium fuisse contendit:

Αὐτὸς γὰρ Κρονίων, καλλιστεφάνου πόσις Ἥρης,
Ζεὺς Ἡρακλείδαις τήνδε δέδωκε πόλιν,
Οἷσιν ἅμα προλιπόντες Ἐρινεὸν ἠνεμόεντα
Εὐρεῖαν Πέλοπος νῆσον ἀφικόμεθα.

---

[1]) l. l. p. 37.
[2]) Fick. griech. Personennamen. Göttg. 1875. p. 107.
[3]) Ἀλεξίμβροτος nomen ipsum non invenitur, verum Ἀλεξιμβροτίδας.
[4]) Quod Archembrotum Fickius omisit, miramur,

Strabo ad hos versus haec addit: *ὥστ᾽ ἢ ταῦτα ἠκύρωται*[1]) *τὰ ἐλεγεῖα ἢ Φιλοχόρῳ ἀπιστητέον τῷ φήσαντι Ἀθηναῖόν τε καὶ Ἀφιδναῖον καὶ Καλλισθένει καὶ ἄλλοις πλείοσι τοῖς εἰποῦσιν ἐξ Ἀθηνῶν ἀφικέσθαι, δεηθέντων Λακεδαιμονίων κατὰ χρησμόν, ὃς ἐπέταττε παρ᾽ Ἀθηναίων λαβεῖν ἡγεμόνα.*

Simili ratione ductus Tiersch „patet, inquit, haec inter Spartanos dici non posse a poeta peregrino, sive Atticus sive Milesius ille fuerit, sed dici tantum potuisse a poeta indigena, cuius genus ab illis Doriensibus Heraclidarum sociis derivaretur.“ Qui repugnant, eorum tria discernit genera: „aut enim mutant aliquid in versibus, aut utrumque distichon lacuna distinguunt, ne verba *Ἡρακλείδαις . . . οἷσιν ἅμα* cohaereant, aut denique Erineum hoc loco non urbem Doricam sed ficum aliquam in Attica silvestrem fuisse contendunt.“

Atque libenter concedo hos tres adversarios optime a Tierschio l. l. refutatos esse. Attamen Tiersch in ea re vehementer videtur errasse, quod poetae verba eodem modo, quo historici tractanda esse iudicat. Nam quis est, quin concedat, poetam, etsi indigena non fuerit, haec verba dicere potuisse? fac hos versus ab ipsis Lacedaemoniis aut ab uno ex iis cantos esse, nonne omnino necessarium videtur primam personam a poeta adhiberi? nonne prorsus ineptum videretur, si poeta eam ob causam, quod ipse non eadem ex terra oriundus fuisset, tertia persona usus esset *ἀφίκοντο* addito subiecto *Λακεδαιμόνιοι*[2])! Quis est, quin poetam non reliquorum hominum sed Musarum dictione uti sciat, quas nihil interest, utrum Lacedaemonius an Milesius sive Atheniensis sit. Quo animus ducit, id cani necessarium est. An Chamissonem non in Francogallia natum putas, quia Germaniam, cum eo reversus sit, patriam praedicet[3])? Qua in re etiam id reputandum est, Chamissonem haec sua sponte cecinisse atque paulo post, quam bella a Francogallis et Germanis gesta essent, quibus vix acriora reperiri possint, Tyrtaeum autem consulto Lacedaemoniorum iussu carmina sua composuisse, quibus amor patriae instigaretur temporibus, cum nec Milessii neque Athenienses cum Lacedaemoniis concertarent.

Sic hoc iudicium refutasse mihi videor; id tantum miror, quod Thiersch Strabonem, qui historicis diffidit, in verba poetae iurat, secutus est, quamvis iam Brunk[4]) „debile Strabonis argumentum“ respuerit, cum diceret: „non enim suo nomine aut de se loquitur, sed de toto, cui praefectus erat, Lacedaemoniorum exercitu.“

Sunt etiam[5]) qui Tyrtaeum Aphidnis in Lacedaemonia sitis[6]) natum dicant; quod qui censent, omnino etiam ea, quae Philochorus et Callisthenes de Delphis referunt, fabulosa esse dicant, necesse est. Quod num merito contendi liceat, infra videbimus; nunc inquiramus, si quid redundet ad originem Tyrtaei accuratius constituendam ex dialecto, qua in elegiis usus sit. Ac recte censet Thiersch e dialecto Ionica, quam in elegiis adhibet, in Ionia Tyrtaeum natum esse conici non posse, „quia observandum sit falso dialectum dici Ionicam, quae epica dici debeat.“ Concedo; sed posse etiam nihil contra Ionicam poetae originem effici inde existimo, quod non nullis locis ab usu epicorum poetarum discrepat ac talem adhibet syllabarum mensuram, qualis nunquam invenitur nisi in dialecto Dorica. Huc pertinet id, quod Hoelbe

---

[1]) Müller Dor. p. 152 adv. legi mavult *ἀκυρωτέον*.

[2]) Neque alio modo tractandus est ille versus: *ἡμετέρῳ βασιλῆϊ θεοῖσι φίλῳ Θεοπόμπῳ* . . . Bergk. P. L. fr. 5,1.

[3]) Chamisso, neue Ausg. Berlin 1872. I. p. 5.

Heimkehret fernher aus den fremden Landen
in seiner Seele tief bewegt der Wandrer;
er legt von sich den Stab und knieet nieder
und feuchtet deinen Schooss mit stillen Thränen,
o deutsche Heimath! — Woll' ihm nicht versagen
für viele Liebe nur die eine Bitte:
Wann müd' am Abend seine Augen sinken,
auf deinem Grunde lass den Stein ihn finden,
darunter er zum Schlaf sein Haupt verberge.

et proximo carmine sic canere incipit: Du meine liebe deutsche Heimath etc.

[4]) Brunk. anal. vett. poett. tom III, lectiones et emendationes in tom I p. 8.

[5]) Hoelbe l. l. p. 54.

[6]) Steph. Byz. s. v. *Ἀφίδνα*.

l. l. p. 23 et Kohlmann l. l. p. 36 sq. afferunt, Tyrtaeum[1]) syllabam ᾱς i. e. terminationem accusativi primae declinationis Lacedaemoniorum more[2]) corripere. Etiam id monent Hoelbe et Kohlmann Tyrtaeum „ι“ in Κρονίων[3]) non producere: abhorrere id a consuetudine Homerica, solum autem Pindarum[4]) tribus locis Κρονῐων dixisse. Cujus argumenti gravitas tollitur, cum reputemus idem ι in casibus obliquis semper fere corripi, duobus tantum locis[5]) produci. Unde colligimus Κρονῐων et Κρονῑων in usu fuisse, poetas autem, pro ut metri causa iis convenerit, hanc vel illam formam adhibuisse. Sed concedo Tyrtaeum hic illic formis quibusdam usum esse, quae Lacedaemoniis propriae erant; neque enim satis valet, quin Tyrtaeum peregrinum appellemus. An mirum est, cum unumquemque illius linguae, quam cotidie audit, proprietates assumere videamus, Tyrtaeum, etiam si certa, quae dialectus in elegiis adhibenda esset, lege alligatus erat, non plures dorismos assumpsisse in elegiis canendis[6])? Neque adeo videtur ineptum inde conicere poetam non Lacedaemonium, verisimile Ionium esse. Id certe profecto demonstrat, hoc poeseos genus ex Ionia, si mavis ab Ioniis, receptum non apud ipsos Lacedaemonios ortum esse. Elegiarum enim poesin nusquam popularem sed ubique arte et doctrina cultam esse videmus. Quod qui tenebit, Thierschii opinionem eo magis caducam concedet, cum dicat: „Tyrtaei carmina Spartanorum ingenio nata esse.“ Quae enim gens canit carmina popularia peregrina in dialecto!

Thiersch autem cum pentametrum fere ejusdem cum hexametro esse originis atque aetatis tum gnomica carmina quasi semina literarum Graecarum esse censet. Homerum enim Hesiodumque carminibus gnomicis, quae omnibus fuissent in ore, in componendis poematis usos esse et e pluribus et diversis continuam unius carminis seriem nexuisse. Quod cum ad nostram quaestionem non pertineat, hoc loco praetermittendum, attamen de ea sententia disputandum videtur, quam idem vir doctus de elegiis profert; quas eadem ratione exstitisse iudicat ita, ut Tyrtaei carmina constent e locis communibus antea separatim vulgatis, deinde inter se a poeta conjunctis. Quod si verum esset, minores elegias prius quam Homeri rhapsodias longiores exstitisse oportuit. Jam Thierschium in concludendo errasse non miramur, cum falsa opinione de elegiarum origine duceretur.

Ipse Thiersch suae opinionis errorem patefieri Tyrtaei dialecto suspicatus esse mihi videtur. Id enim, quod supra diximus, necessarium esse in poesi populari popularem quoque i. e. patriam dialectum adhiberi, quamvis nec plane cogitaverit nec dicat, tamen Thierschium sensisse inde intellegi existimo, quod p. 605 refert: „Achaei enim superati erant nondum extincti . . . manente autem Achaeorum populo, quamvis nomen cessaret et omnes in Doricae gentis appellationem reciperentur, mansit etiam linguae eorum usus in carminibus et intellegentia.“ Quibus dictis quam aliis locis recte epicam appellavit dialectum, eam Spartae patriam et popularem fuisse demonstrare conatur. Compares ea, quae Thiersch p. 603 dicit: „atenim dicat aliquis, si ipsis Spartanis i. e. Doriensibus carmina debentur, qui fieri potuit, ut dialecto non patria sed Ionica perscriberentur. Hic primum observandum est falso dialectum dici Ionicam, quae epica dici debet.“ Ambos, quos laudavimus, locos inter se esse oppositos luce clarius est. An quisquam epicam i. e. arte in Ionia excultam dialectum apud Lacedaemonios patriam fuisse contendere possit?

Id igitur habeo comprobatum ex Tyrtaei dialecto elucere elegias non ipsa in Lacedaemone esse ortos, sed hoc genus poeseos ex Jonia esse translatum, atque si Tyrtaeus Lacedaemonius fuit, aut ipse in Ioniam profectus didicit dialectum et rhythmum et musicam elegiarum, aut ab Ioniis, qui in Graeciam migraverunt, dialecto Ionica et ceteris institutus est. Neque dubito, quin id, quod modo protuli, maxime placeat iis, qui Tyrtaeum Lacedae-

---

1) Bergk. P- L. II. p. 394 Tyrt. fr. 4,5. „ἔπειτα δὲ δημότας ἄνδρας“ et p. 396, 17 „δέσποτας οἰμώζοντες.“

2) Herodian περὶ διχρόνων in Crameri anecd. Oxon. III p. 296, 17. τὸ ἐκτεινόμενον ᾱ ἐπὶ πληθυντικῶν αἰτιατικῶν οἱ Δωρεῖς συστέλλουσιν.

3) Bergk. P. L. II p. 393 fr. 2, 1. Αὐτὸς γὰρ Κρονίων.

4) Pind. Pyth. 4, 39. Nem. 1, 23. 9, 66.

5) Hom. Il. 14, 247. Od. 11, 620.

6) cf. Philolog. I. p. 588 „Die ionische Sprache der Elegie hat hin und wieder den Landesidiomen einen kleinen Spielraum gegönnt. Hat doch Theogn. v. 299. das dor. λῆς.

monium esse contendunt eo potissimum nisi argumento, quod non sit verisimile peregrinum in Sparta ducis munere functum esse. Audiendus est Kohlmann, qui l. l. p. 37: „Argumentum maximi ponderis in eo inesse putat, quod incredibile sit, poetam Atticum aut omnino peregrinum aliquem officio et potestate inter Spartanos functum esse, qua Tyrtaeum functum sciamus, cum ne civis quidem fieri advena possit Lacedaemone.“ Tyrtaeum enim apud Lacedaemonios re vera ducem fuisse ex Strabone l. l. certo scimus, cum dicat: *Τυρταῖός φησιν αὐτὸς στρατηγῆσαι τὸν πόλεμον τοῖς Λακεδαιμονίοις*[1]). Herodotus quidem dicit IX. 35: *μοῦνοι δὲ δὴ πάντων ἀνθρώπων ἐγένοντο οὗτοι* (sc. *Τισάμενος καὶ Ἡγίας) Σπαρτιήτῃσι πολιῆται*, tamen alia exempla eum aut ignorasse aut neglexisse apparet, si confers quae leguntur apud Aristotelem polit. II, 612: *ἐπὶ μὲν τῶν προτέρων βασιλέων μετεδίδοσαν* (sc. *οἱ Λακεδαιμόνιοι) τῆς πολιτείας*. Id vero moneo Lacedaemonios, nisi Delphorum oraculi responsis commoti essent, Tisameno et Hegiae nunquam civitate donaturos fuisse. Spartae enim, quin quicquam novi in re publica reciperetur, fieri nullo pacto potuit, prius quam Delphorum oraculo iussum vel sancitum esset.

Quaeramus igitur, num unquam alias factum sit, ut Delphorum oraculi iussu peregrini poetae Spartam arcesserentur. Neque a quaestione, quam instituimus, alienum videtur considerare, quae consilia antistites Apollinis Delphici omnino secuti sint.

Delphos antiquissimis iam temporibus cum ad Dorienses tum ad Lacedaemonios pertinuisse cum aliunde tum e fabula illa colligi licet, qua Apollo Pythius iis in Peloponnesum iter ostendisse[2]) dicitur. Lycurgi rhetras ut Lacedaemonii acciperent, Delphorum oraculum sanxit; quin etiam Delphis eas excogitatas esse probabile est[3]). Delphos eo spectasse videmus, ut Lacedaemoniorum civitas valida fieret provehereturque; adversarii vero ut carperentur, distraherentur, supprimerentur; unde exploratum habeo eos Spartanis in Graecia summam imperii tribuere semper studuisse. Quod quam ob rem factum sit, etsi certo dici nequeat, tamen quod conici liceat, in medium proferamus. Fieri enim potuit, ut in Graecia Delphorum antistites foedus inierint aut consulto aut natura quasi duce cum potentissima Graeciae re publica. Atque si ita iudicamus, antistites Delphicos suae magis quam Lacedaemoniorum utilitati consuluisse censemus. Attamen nihil obstat, quominus antistites putemus ad salutem totius Graeciae servandam Lacedaemoniis favisse, quippe qui antiquis moribus optime servatis ex omnibus Doriensibus maxime viderentur idonei ad principatum totius Graeciae obtinendum.

Sed res ipsa, quam hic adhibendam esse censeamus, cum constet, nec dubium sit, quin Delphorum antistites Spartae faverint: eo revertamur, unde digressi sumus. Saepius enim ea re Pythia Lacedaemonios adiuvit, quod viros nominabat, qui rei publicae labefactatae succurrerent. Atque ante Tyrtaeum Lycurgus, Terpander, Thaletas iussu oraculi rei publicae morbos velut medici[4]) sanaverunt.

Remedia autem, quae oraculum praecepit semper animi erant. Poesin enim artesque musicas colere iussit. Sic discordiis, pestibus, seditionibus, rebus in bello adversis afflictam civitatem restituerunt. Atque a Lycurgo non solum leges latae, sed etiam rhapsodiae Homeri in Lacedaemoniam transductae sunt[5]). Gravitas et constantia Lacedaemoniorum, quamquam inter virtutes numerandae sunt, tamen eos prohibuerunt, quominus quod reliqui Graeci in artibus literisque profecerunt, proprium sibi facerent. Facile igitur fieri potuit, ut Lacedaemonii non solum bellicosi sed iidem barbari merito appellarentur. Tum Terpandrum Lesbium[6])

---

[1]) cf. etiam Philochorum apud Athenaeum XIV p. 630 F. *τὴν Τυρταίου στρατηγίαν.*

[2]) cf. Dunker Gesch. d. Altth. III p. 404.

[3]) De Lycurgo cf. Curtius Gr. Gesch. I. 170 et 186. Müller Dor. I p. 137 sq. Grote Griech. Gesch. (vers. Germ.) I p. 559. Gilbert altspart. Gesch. p. 80—120. Gelzer über das Delphische Orakel Rhein. Mus. 73. Bergk. Gr. L. p. 272.

[4]) Aelian V. H. XII 50. *Λακεδαιμόνιοι ... μετεπέμποντο ξένους ἄνδρας οἷον ἰατροὺς ἢ καθαρτὰς κατὰ πυθόχρηστον· μετεπέμψαντό γε μὴν Τέρπανδρον καὶ Θάλητα καὶ Τυρταῖον καὶ τὸν Κυδωνιάτην Νυμφαῖον.*

[5]) Wolf Prol. ad Hom. CXXXIX.

[6]) Westermann *βιόγραφοι* II 36. Athenaeus XIV 635 E. Plut. mus. p. 1132. Aelian V. H. XII, 50. Clem. Alex. Strom. I 333 A. B.

seditione rem publicam concutiente, Thaletam Gortynium[1]) peste saeviente Spartam arcessendos oraculum Apollinis Delphicum curavit. Num igitur prosus veri videtur dissimile, Tyrtaeum oraculi iussu a Spartanis peregre esse arcessitum? Thiersch igitur cur non eadem ratione, qua Tyrtaeum Lacedaemonium esse demonstrat, Thaletam et Terpandrum peregrinos negaverit, nescio[2]). Itaque tantum abest, ut Tyrtaeum poetam oraculi iussu Spartam arcessitum esse miremur, ut si nihil aliud de eo haberemus quam elegias, cum hujus poeseos genus tum poetam ipsum Delphorum oraculo auctore Spartam arcessitum esse coniciendum esset. Quid, quod Tyrtaeum re vera peregrinum esse dubitatis dicere, cum non solum rhetores sed etiam rerum scriptores et philosophi velut Callisthenes, Philochorus[3]) et Plato[4]), quorum de sinceritate dubitare non audemus, Tyrtaeum Athenis Spartam arcessitum esse prodiderint.

Tyrtaeum ex Asiae Minoris Ionia oriundum esse maxime veri simile est, cum illis temporibus elegiarum usus vix alias in civitates Graecas manavisse probabile sit[5]). Cui opinioni bene consentit Suidas[6]) in priore de Tyrtaeo relatione, quae optimis e fontibus derivata nobis videtur. Suidas enim refert: „*Τυρταῖος Ἀρχεμβρότου Λάκων ἢ Μιλήσιος*“, quomodo merito is designatur, qui Mileti natus in Lacedaemoniorum indigenarum numerum adscriptus est.

Transeamus ad quaestionem chronologicam. Tyrtaeus Spartam arcessitus esse fertur, ut in bello Messeniaco altero[7]) res male gestas restitueret. Quod ei contigit cum carminibus[8]) quibus Lacedaemoniorum animos adhortaretur[9]), tum Helotarum in civium[10]) numerum adscriptione. Quando bellum Messeniacum alterum gestum sit, ex primi belli Messeniaci temporibus Pansanias IV, 15, 1. computavit: *οὕτως ἀπέστησαν ἔτει τριακοστῷ μὲν καὶ ἐνάτῳ μετὰ Ἰθώμης ἅλωσιν, τετάρτῳ δὲ τῆς τρίτης ὀλυμπιάδος καὶ εἰκοστῆς.* Bellum igitur primum Ol. 9, 2 — Ol. 14, 1, alterum Ol. 23, 4 — Ol. 28, 2 gestum esse Pansanias prodit. Cui computationi Tyrtaeum contradicere intellegere iam Pansanias debebat, qui l. l. mox hos laudat versus:

Ἀμφ' αὐτὴν δ' ἐμάχοντ' ἐννέα καὶ δέκ' ἔτη
Νωλεμέως αἰεὶ ταλασίφρονα θυμὸν ἔχοντες
Αἰχμηταὶ πατέρων ἡμετέρων πατέρες.

Nepotes enim, quorum avi XXXIX ante annos pugnaverunt, vix vivere nedum puberes esse possunt. Quod Justinus[11]) bellum alterum annos LXXX post primum gestum esse dicit, id cum Tyrtaeo magis convenit. Sed ne id quidem, bellum primum Ol. 9, 2—Ol. 14, 1 gestum[12]) esse, Pansaniae concedi potest. Neque enim Bergkium[13]) errasse dicimus, qui

---

[1]) Westermann *Βιόγραφοι* II 19. Paus I. 13, 3. Athen. XV 678 c. Ephor. apud Strab. X p. 480. Schol. Pind. Pyth. II 127. Plut. mus. p. 1143 D. et 1146 C. Curtius l. l. 197.

[2]) Thiersch l. l. p. 605: Terpandrum Lesbium esse censet.

[3]) Apud Strabonem l. l.

[4]) Plat. legg. 629.

[5]) Athenis Solon primus elegias exercuisse videtur.

[6]) Suid. s. v. *Τυρταῖος* I.

[7]) Strab. VIII 362. *ἐπὶ μὲν οὖν τοῦ Τυρταίου ὁ δεύτερος ὑπῆρξε πόλεμος.*

[8]) Paus. IV 18, 2. *καὶ τούτους μὲν τὰ διάφορα διέλυε Τυρταῖος.*

[9]) Suid. s. v. *Τυρτ. 1. ὃν λόγος τοῖς μέλεσι χρησάμενον παροτρῦναι Λακεδαιμονίους πολεμοῦντας Μεσσηνίοις καὶ ταύτῃ ἐπικρατεστέρους ποιῆσαι.*

[10]) Just. III 4. . ., ut servos suos ad supplementum exercitus manumitterent, hisque interfectorum matrimonia pollicerentur, ut non numero tantum amissorum civium sed dignitati succederent.

[11]) Just. III. 4. Dein cum per LXXX annos gravia servitutis verbera . . . perpessi essent, bellum restaurant.

[12]) Paus. IV., 5, 10 et 13, 6, 7.

[13]) Mus. Rhen. XX p. 288. Der erste Messenische Krieg fällt in die Zeit von Ol. 11—16. Dies beweisen am besten die Verzeichnisse der Olympioniken: der zweite beginnt Ol. 33 gegen Ende.

bellum Messeniacum primum Ol. 11—16 gestum, alterum Ol. 33 ortum statuit. Cum autem multos alios egregios viros doctos[1]) Pausaniae computationem secutos esse videamus, hanc chronologiae quaestionem accuratius tractemus et Bergkii, quam protulit, sententiam argumentis allatis comprobemus.

Pansaniae computationem si acciperemus, Tyrtaeum ante Terpandrum et Thaletam vixisse diceremus. Utriusque enim aetatem inde statuimus, quod Terpander ludos, quos Carnea vocant, Ol. 26[2]), Thatetas Gymnopaedias Ol. 28[3]) instituisse fertur. Quae ludorum chronologia discrepat a Pausania, si quidem recte iudicamus fieri non posse, quin civitas, quae in summo versetur periculo, ludos musicos, quibus delectetur, instituet[4]). Praeterea, Tyrtaeus si Terpandro et Thaleta prior Spartam arcessitus esset, miraremur ad sanandam Lacedaemoniorum rem publicam auxilium primum neque ex Doriensibus ceteris, neque ex Aeoliis, gente consanguinea et amica, sed ex Ioniis requisitum esse, gente Graecorum Lacedaemoniis maxime aliena; neque veri simile esse putamus, eadem in civitate, in qua Tyrtaeus ad tibiam elegias distichis cecinit, Terpandrum postea hexametra Homerica[5]) ad lyram composuisse, distichorum autem excultiorem formam repudiasse.

Sed alia, quae praesto sunt, argumenta proferamus. Messenios, Arcades, Pisaeos contra Lacedaemonios foedus icisse Pansanias[6]) et Strabo[7]) memoriae prodiderunt. Pisaei autem, quos Eleorum gentem fuisse scimus[8]), qui fieri potuit, ut foedus icerent, quod ceteri Elei repudiarent? Eleos enim Lacedaemoniis, quorum sub auspiciis ludos illos Olympiae celeberrimos agerent, amicos fuisse notum est, cum Pisaei, qui Eleis inviderent, Messeniis faverent, quorum auxilio sese Lacedaemoniorum potentia concisa Olympiae ludos celebraturos esse sperabant. Pisaeos antem ab Eleis defecisse atque in libertatem vindicatos ludos celebrasse Ol. 26 nos certiores facit Strabo[9]); quem tamen in tempore, quod profert computando errasse, non difficile mihi videtur demonstrari posse. Olympiadem enim, de quo Strabo l. l. agit, cum eam esse, quae *ἀνολυμπιὰς* vocatur, concedere non dubitaveritis, non vicesimam sextam sed tricesimam quartam i. e. eam olympiadem esse, quam Pantaleon

---

[1]) Clinton F. H. Mure Hist. of Grec. Lit. Fischer in tab. rerum Graec. chronol. Peter tab. chronol.

[2]) Hieron. ed schoene p. 36.

[3]) Westphal repugnat. cf. Verhandlungen der 17. Philol. Versamml. p. 51. sqq. ubi bene de Terpandro disputat, eumque vetustiorem Archilocho dicit, qui in poesi Graeca colenda magis provectus sit. Quamquam Archilochum in poesi colenda magis provectum esse Terpandro concedimus, tamen paesertim illis temporibus, cum commercium et negotium haesitarent, ut uterque aequalis fuerit, fieri potuisse negari non potest. Quin etiam fieri potest, ut Terpandro vetustior fuerit Archilochus; qui cum in Thaso novos inveniret rhythmos, quam ob rem simul cum eo priora poeseos genera, quae procul in Lacedaemonia florerent, interiisse necessarium est? Id comprobo, quod Westphal p. 58 refert: Die musischen Agonen sind nach dem unzweifelhaften Zeugniss des Laconen Sosibius Ol. 26 eingesetzt. Wenn es nun feststeht, dass Terpander der älteste Karneonike ist, so muss er nothwendig um Ol. 26, also nach Archilochus, gelebt haben, als dessen Blüthezeit Ol. 15—20 feststeht. (Haud scio an Westphal melius dixisset Ol. 16—25, qua de re confer Ignatii Sibelii „de Archilochi reliquiis“ disputationem § 11 p. 5 sqq.) Sosibii autem non dubitandum testimonium Glauco apud Plutarchum fretus reicit et Terpandrum Achilocho vetustiorem censet [*πρεσβύτερον γοῦν αὐτὸν Ἀρχιλόχου ἀποφαίνει Γλαῦκος ὁ ἐξ Ἰταλίας*]. Nos Glauci chronologiam repudiamus, eam quae Sosibio auctore inscriptionibus firmatur, accipimus. Adiuvamur Leutschii auctoritate, qui l. l. p. 66 de Westphali disputatione haec refert: in Bezug auf die Chronologie des Terpander müsse man sich dem Hellanikos unterordnen, dessen Zeugniss sich auf Inschriften stütze und von der Art sei, dass jeder Zweifel schwinden müsse.

[4]) cf. Mauso Sparta I, 2 p. 203.

[5]) Plut. mus. c. 4. *ἐζηλωκέναι δὲ τὸν Τέρπανδρον Ὁμήρου μὲν τὰ ἔπη, Ὀρφέως δὲ τὰ μέλη.*

[6]) Paus. IV 15, 1. 16, 1. 8, 2.

[7]) Strab. ed. Cas. 362. VIII c. 3, 30.

[8]) Mannert, Geogr. VIII 860.

[9]) Strab. VIII 355 ed. Cas. *μετὰ δὲ τὴν ἕκτην καὶ εἰκοστὴν ὀλυμπιάδα οἱ Πισᾶται τὴν οἰκείαν ἀναλαβόντες αὐτοὶ συνετέλουν τὸν ἀγῶνα ὁρῶντες εὐδοκιμοῦντα· χρόνοις δὲ ὕστερον μεταπεσούσης πάλιν τῆς Πισατίδος εἰς τοὺς Ἠλείους, μετέπεσεν εἰς αὐτοὺς πάλιν ἀγωνοθεσία.*

Pisaeorum rex celebravit[1]). Olympiadem igitur tricesimam quartam eam fuisse dico, qua Pisaeorum, Messeniorum, Arcadum, Argivorum foedus florebat, qua Lacedaemonii in angustias adducti Eleos, ut Olympiae ludos rite celebrarent, adiuvare non poterant, qua oraculo Delphorum consultato Tyrtaeus Spartam arcessitus est[2]). Cui, quae nobis videtur concinna, computationi consentit fere Hieronymus, qui Tyrtaeum Ol. 36, 4 floruisse refert[3]); Suidas autem priore in relatione[4]) omnino congruit referens: *ἤκμαζε γοῦν κατὰ τὴν λέ Ὀλυμπιάδα.* Cujus relationis cum chronologiam comprobandam esse experti simus, etiam cetera, quae referuntur, eo magis tenebimus praecipue id, quod poeta noster *Λάκων ἢ Μιλήσιος* fuisse dicitur, ut Mileti natum Lacedaemoniorum indigenarum numero eum adscriptum esse putemus.

---

[1]) cf. Clinton F. H. I. p. 198. Paus. VI. 22, 2: *τετάρτῃ ὀλυμπιάδι καὶ τριακοστῇ στρατὸν οἱ Πισαῖοι καὶ βασιλεὺς αὐτῶν Πανταλέων ὁ Ὀμφαλίωνος παρὰ τῶν προσχώρων ἀθροίσαντες ἐποίησαν ἀντὶ Ἠλείων τὰ Ὀλύμπια. Ταύτας τὰς ὀλυμπιάδας* (i. e. hanc Ol. 34 et Ol. 8, quam Phidon celebravit), *καὶ ἐπ' αὐταῖς τὴν τετάρτην τε καὶ ἑκατοστὴν τεθεῖσαν δὲ ὑπὸ Ἀρκάδων ἀνολυμπιάδας οἱ Ἠλεῖοι καλοῦντες οὐ σφᾶς ἐν καταλόγῳ τῶν ὀλυμπιάδων γράφουσιν.*

[2]) Krebs. Lect. Diod. 253—260 nobis fere assentit: „Initium belli alterius Messeniaci Diodorus fortasse Ol. XXXV posuerat." Equidem ex iis, quae supra disputavi iam Ol. 33, certe 34 bellum ortum esse censeo.

[3]) Euseb. chronic. ed. Schoene p. 88 sq.

[4]) Reliqua quae de Tyrtaei aetate eodem loco memoriae produntur „*ἔστι δὲ παλαίτατος σύγχρονος τοῖς ἑπτὰ κληθεῖσι σοφοῖς ἢ καὶ παλαίτερος*" librarius aliquis adiecisse mihi videtur, cum septem sapientes aliis temporibus, circiter Ol. 49 floruisse Alexandrini viri docti putarent (cf. Bergk gr. Lit. p. 301 adv.), nec probabile sit, virum doctum adeo ineptum scripsisse, ut duas simul redderet temporis descriptiones, primo ambiguam deinde certam, quorum praeterea altera alteri repugnaret.

PROSPECT.

I. Ziel der Anstalt.

Möglichst allseitige Ausbildung der physischen, intellectuellen und sittlichen Fähigkeiten im Allgemeinen, zweckmässige Vorbereitung auf die im In- und Auslande gesetzlich anerkannten Ziele der Real-, Handels- nnd Polytechnischen Schulen, der Forst- und Bergacademien, der Marine und der Gymnasien im Besonderen.

II. Gliederung des Ganzen.

3 Elementarclassen,
Realschule mit 6 Classen,
5 Gymnasialclassen (ausser Realclasse VI = Gymnasialsexta, noch Quinta, Quarta, Unter- und Obertertia).

Nach Bedürfniss und Umständen werden die Gymnasialschüler auch über diese Ziele gefördert.

III. Der gemeinschaftliche Unterricht der Zöglinge

umfasst folgende Fächer:

Religion,
Deutsch, Latein, Französisch, Englisch, Griechisch,
Rechnen, Algebra, Geometrie, Planimetrie, Trigonometrie, Stereometrie,
Geographie und Geschichte,
Naturgeschichte, Physik, Chemie,
Kalligraphie, Zeichnen, Gesang, Exerciren und Turnen.

IV. Bedingungen der Aufnahme.

A.

Die Zöglinge sind

a) theils **Schüler,** welche nur den Unterricht besuchen. Das Schulgeld wird monatlich in Rechnung gestellt und beträgt für:

Elementarclasse III, II und I	je	9 Mark
Realclasse VI und V	„	12 „
„ IV „ III	„	15 „
„ II „ I	„	18 „

Für die Gymnasialclassen ist derselbe Betrag zu entrichten. Das Schulgeld ist postnumerando zahlbar. Der Monat des Eintritts wird für voll berechnet.

b) theils **Halbpensionäre,** welche, auser dem Unterricht, in der Anstalt zweites Frühstück, Mittagsessen, Vesper- und Abendbrod erhalten und an den Arbeitstunden, Spazier-